Matheus miseratione divina tituli sancte Potentiane Sacrosancte Romane ecclesie presbiter Cardinalis Sedunensis
totius Germanie ac Lombardie et ad quecumque loca ad que nos declinare contigerit Sanctissimi domini nostri pape et Sedis apostolice Legatus Ad perpetuam M
rei memoriam Ecclesia Romana cuius principatum super omnia extulit divina maiestas a qua veluti primevo fonte honorum et dignitatum beneficia provenire tamquam
Regina in vestitu deaurato circumdata varietate interdum per suorum legatorum ministerium eos quos sibi devotos et fideles ac aliis virtutum meritis insignitos cognoscit
preclaris titulis decorat et ornat ac specialibus benivolentie favoribus amplectitur ut exinde magis eorum devotio ad ecclesiam ipsam augeatur Cum itaque sancta Romana
ecclesia que omnium est caput et magistra ac illa Petri fluctuans non tamen interitura navicula a variis et gravissimis quibus nuper agitabantur procellis et pene in
profundum demergebantur dilectorum nobis in Christo totius Helvetiorum et confederatorum Suitensium opera auxilio et favore liberata ac horrendum scisma quod nonnullis
heresiarchis illud in ecclesia procurantibus Prothdolor non parum pullulavit extirpatum ac Tirannorum quorum Ludovicus Francorum Rex sub quo tota fere Italia suppressa
et pessundata iacuit facile principatum obtinuit insolentes animi contuti et consternati itaque Tiranni eliminati et profugati Civitates denique Oppida Castra
Terre Ville et alia loca ad prefatam Romanam ecclesiam pleno iure spectantes et spectantia ausu Tirannico et temerario in defectione deducta et indebite contra
deum et iustitiam occupata dicte ecclesie restituta et in pristinam ditionem reducta sanctaque Petri Sedes et in ea divino nutu presidens a falso et pseudo prophetis
multipliciter lacerati in tuto ac quiete collocati fuerint se in hoc devotissimos dicte Romane ecclesie filios exhibendo et ostendendo quo fit ut nos cui etiam ex iniuncto
nobis apostolice Sedis legationis officio incumbit bene de prefata Sede meritos honorum insigniis decorare et attollere de dilectorum nobis in Christo Amani Con
sulum et universorum hominum Dominii Unterwalden et ober dem Walt Constantiensis diocesis provincie Maguntine in prefatam ecclesiam devotione fidei con
stantia aliisque preclaris actibus et precipue in hac nostra felicissima expeditione per dilectum nobis in Christo Petrum Wirtz eorum Capitaneum et gentis
ipsorum ductorem primarium prestitis plenam notitiam habentes eosdem Amanum Consules et homines supradictos premissorum meritorum suorum intuitu favo
ribus et gratiis prosequi volentes Motu proprio non ad eorum vel alicuius alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera
liberalitate Amanno Consulibus et hominibus predictis eorumque successoribus et posteris universis quod deinceps perpetuis futuris temporibus in eorum
Banderiis et vexillis imaginem sive figuram sancti Petri Principis apostolorum Clavem bicipitem albi coloris manu tenentis una cum solitis consuetis et prio
ribus eorum insigniis tenere et habere et deferre libere et licite valeant auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte tenore presentium concedimus pariterque
indulgemus Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis ac Legibus Imperialibus et Regalibus Necnon Statutis Municipalibus etiam Iura
mento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscumque Datum Mediolani Anno Incarnationis dominice
Millesimoquingentesimoduodecimo Tertiodecimo Kalendas Januarii Pontificatus Sanctissimi domini nostri domini Julii pape II Anno Decimo

N. Volberthe

Impo